



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ethices Christianae, Libri Tres**

**Daneau, Lambert**

**Genevæ, 1579**

Cap. XVII. Decimi diuinæ Legis præcepti, quod est, Non concupisces domum proximi tui, Non concupisces vxorem, &c. expositio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41242**

Cap. 17.

ETHIC. CHRIST.

commendatio & liberalis, ingenuaque prædicationis virtutis alienæ.



CAP. XVII.

Decimi diuinæ Legis præcepti, quod est, Non concupisces domum proximi tui, Non concupisces uxorem, &c. expositio.

**P**rimùm verba ipsa Legis quæ admodum interpretetur Græcus quidam videamus. Videtur enim quiddam in lege immutatum. Nempe quod addit, Neque agrum eius, quæ verba in Exodo non habentur, nec in Deuteronom. cap. 5. etiam à mente Legis non dissident, sed præstat, ut præscriptis verbis Legem ipsam recitemus, atque ediscamus. Quod autem pertinet ad hanc vocem *ἐπιθυμῆσαι*, ea semper vsus quoque est ubique Paulus Roman. 7. versu 7. & 13. versu 9. Iacob. 4. versu 2. I. Ioan. 2. versu 16. & 17. Sed obstare videtur, quod huius vocis *ἐπιθυμῆσαι* videtur esse media significatio, unde *ἐπιθυμῆσαι* *κατὰ* disertè damnat Paulus Coloss. 3. versu 5. Hic autem non quodlibet desiderium damnari intelligendum est: sed illud modò, quod turpe est & charitati Christianæ contrarium. I. Corinth. 13. versu 5. id est, quod quærit quæ sua sunt.

Præterea duplici voce vtuntur Hebræi, vt apparet, *חָמַד* & *חָמַד*. hoc significat cum delectatione quadam appetere: illud vehemètem quandam animi

animi libidinem denotat. Vtrum igitur vel verbo *συνιδεῖν*, vel *ἐπιποθεῖν*, vel *βέλεσθαι*, vel *ἀγαπᾶν* vti liceat, vt verba græca explicemus, vti ex his locis colligi videtur. Rom. 7. v. 21. Iac. 4. vers. 5. 1. Ioan. 2. vers. 15. Respondeo, licet. Nam *θεολογία* Christiana, non est *λογοδιδασκαλία*, sed vera explicatio mentis Diuinæ. Verbo verò *ἐπιθυμείν* est pulcherrimè expressum, quam delectationem complectitur Lex. Nunc de ordine & æquitate huius legis videamus.

Ait Lex, *Non concupisces domum proximi tui: Non concupisces uxorem proximi tui, neque seruum, neque ancillam eius, neque bouem, neque asinum eius, neque eorum quicquam, quæ ad eum pertinent.* Hactenus Lex. Cuius ad interpretationem priusquam aggrediamur, quædam pro more nostro præfabimur. Ac quidem quatuor, è quibus primum est.

Quanta sit huius Legis diuinæ præ omnibus aliis legibus dignitas & præstantia, siue ex politicæ sint, siue naturales & philosophicæ. Id quod optimè ex hoc præcepto intelligemus, quanquam numero decimum, & in tota hac lege vltimum est. Eò igitur pertingit hæc Lex, vt abdita cordis humani scrutetur, & prauas illius cogitationes & concupiscentias damnet. Id quod certè alia nulla Lex præter hanc vnã facit aut facit Itaque ait Paulus Roman. 7. versu 7. non nossem Concupiscentiam esse peccatum, nisi Lex dixisset, *Non concupisces.* Atque quò melius ita se rem habere perspiciamus, quid de Concupiscentiis & prauis hominum cogitationibus Philosophi, vel Nomothetæ, ac in vniuer-

Cap. 17. ETHIC. CHRIST.

sum homines omnes suis sententiis statuunt, videamus. In quo generaliter dici potest, eos duotantum peccati genera agnouisse, Nimirum turpe ipsum factum, & certum animi propositum, voluntatemque rei malae perpetradae: praeterea nihil. Vnde fit, ut concupiscentiam praetermittant, neque in peccatorum numero habeant. Sunt vero tres hominum sententiae explicandae, ex quibus tota haec quaestio definitur, Nempe Politicorum hominum siue Nomothetarum, Philosophorum siue Poetarum, & Doctorum Romanorum siue Theologorum (qui dicuntur) Papistarum.

Ac Nomothetae quidem, qui pacis politicaeque inter homines stabilienae gratia leges condiderunt, solam mali concupiscentiam & cogitationem nunquam damnarunt, suisve legibus puniuerunt: sed eam demum voluntatem, quae certum animi propositum, certamque rei malae agenda deliberationem cum assensu haberet. Est in l. cogitationis. D. de poen. l. j. §. sola tamen. D. de furtis. etsi in l. impuberem. §. sed etsi. D. Adl. Cornel. De fals. sic ait Iurisconsultus, etsi ad cogitationem animi nocens est, dicimus tamen poenae eximendum. Nec obstat l. sancimus. C. de poen. Vnde Augustinus lib. 1. De libero Arbitr. cap. 15. de lege politica loquens, sic ait, Non autem ulciscitur peccatum, cum amantur ista, sed cum aliis per improbitatem auferuntur. Signum enim aliquod assentientis malo voluntatis etiam requirit lex politica, quia solam mali concupiscentiam non damnat. l. fugitiuus. D. De verbor. significatio. Cicero, leges tantum puniunt, ait, quantum

quantum manu apprehendunt.

Philosophi autem & Poetæ ethnici magnum quid & præclarum in speciem sensisse videntur. Nam eadem damnant, quæ superiora præcepta, unde Tertullia. in Apolog. cap. 45. ex aduersariorum persona, Eadem, inquit, & Philosophi monent & profitentur innocentiam, iustitiam, patientiam, sobrietatem, pudicitiam, maximèq; possunt cum Dei lege consentire videri in hoc etiam præcepto. Aiunt enim sic,

Πάντων μὲν πρῶτα κακῶν ἡ πονηρία ἐστίν.

& aibi non tantum malum esse per se *ἡ πονηρία*, (qua voce Lex Dei hoc loco utitur) volunt: sed etiam penè malorum omnium fontem. Dicebat enim Xenocrates non minus esse turpe oculos, quàm manus, in alienum agrum iniicere. Cicero lib. 2. De finib. ait cupiditatem radicitus extrahendam, non solum moderandam, aut certam mensuram finiendam. Idem ille lib. 3. De finib. ait peccatum esse duplex alterum cum effectu, ut patriam prodere: alterum sine effectu, ut timere, in libidine esse. Thales dixit cum qui vel cogitaret malum non latere Deum, Laertius in Thalete. Iuuenalis satyr. 13.

*Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,  
Facti crimen habet.* —

Re ipsa autem nihil ab aliorum sensu Philosophi differunt. Eas enim solas prauæ cogitationes, & voluntates damnant, atque inter peccata enumerant, quas antegressa est animi deliberatio, secutaque electio & consensus, id est, in quibus voluntas malo cogitato & proposito assentitur; ut illud & velit & probet. Quæ autem

N.iiiij.

consensum non habent, damnant quidem eas à κατέλας nomine nonnunquam, si sint frequentes: inter vitia tamen esse non censent. Sic Aristoteles lib. 3. ἐπιθυμίας Νικομαχ. cap. 2. Neque aliud de iis sentire suadet, quòd Ἐπιθυμίαν κακὸν ὀρεῖται, id est, Maximum vitium & malum appellant, quo nomine à Scriptura Concupiscentia vocatur. Ἐπιθυμία enim duplex est significatio. Nam & Cupiditatem & Concupiscentiam denotat. Cum itaque ἐπιθυμίαν accusant Philosophi, tunc non pro Concupiscentia, sed pro Cupiditate, & coaceruandi auri nimio studio (quæ Auaritia nominatur) sumenda est. Sic enim eo versu scribunt, Auaritiam (quam vocant vulgi more ἐπιθυμίαν) esse pessimum vitium, & pene malorum omnium, quæ inter homines committuntur, fontem. Eodem sensu voce ἐπιθυμίας vitur etiam Iacobus in sua epistola cap. 4. vers. 2. & illud ipsum est, quod ait Paulus, 1. Tim. 6. vers. 10. Ergo nihil ad mentem Legis diuinæ facit illa Philosophorum sententia.

Denique quid Scholastici ipsi Rom. sentiant, videamus. Illi enim restant. Sed neque hi concupiscentias pro peccatis agnoscunt, aut habent. Philosophiæ enim studio contra Pauli præceptum. Colof. 2. vers. 8. plus satis addicti, eas solas voluntates mali damnant, quibus fixus firmusque mali perpetrandi consensus adiunctus est. Solas autem eas mali cogitationes, quæ nos titillant, non item, si modò iis plenè non assentiamur. Et eæ tamen sunt veræ concupiscentiæ hoc Legis præcepto improbatæ. Quid igitur de tota hac re isti sentiunt? Certè varia & diuersa, minimeque

que inter sese cōsentientia. Nam Pighius hæres Pelag. in baptizatis post Baptismum ne peccata quidem esse aut dici debere Concupiscentias scripsit. Alij distinguunt inter Concupiscentiam quæ est s̄ Formata.

Informis adhuc & scabra vel rudis, Illam quidem damnari affirmantes: Hanc autem rudem negantes peccatum esse. Magister sentent. lib. 2. distinct. 39. & 49. Alij item dicunt aliud esse animi s̄ Propassionem.

s̄ Passionem.

Propassionem vocant, quam Aristoteles in suis Categoriis patibilem Qualitatem, nimirum subitum animi motum, & affectum, qui non est diurnus, & vt ipsi loquuntur, morosus, qualis est iræ momentaneæ vel libidinis. Itaq; ex Aristotelis decretis & sententia isti Theologi apud Deum peccatum esse negant. Passio autem illis est, animi forma, habitus & deliberatio cum cōsensu, à qua homines quales dicuntur, veluti iracundi, aut libidinosi, & amantes. Hanc solam apud Deum damnari, quia & eā solam damnat Aristoteles. Denique hæc est Nicolai de Lyra in Matth. 5. vers. 22. non modò sententia, sed etiam oratio, quæ ex Bernardi sermo. De Triplici genere cogitat. sumpta videri potest, sed perperā intellecto. Præclarè enim idem sermo. 49. Cant. Cant. 51. doles, quia inuides: sentis, sed non consentis. Passio est quodcumque sananda, & c. Is appetitus, ait De Lyra, qui præuenit actum rationis ad appetendum, non est peccatum mortale, vel veniale, sed motus sensualitatis, qui non est in nostra potestate. Hæc ille. Ve-

luti ferè edaci, & voluptario homini obrepit quidam ciborum & deliciarum appetitus: sic nobis incogitantibus subrepunt prauæ cogitationes & concupiscentiæ, quas ille neque pro peccato mortali, neque pro veniali agnoscit. Sed addit De Lyra. Hic appetitus, si retinetur postquam perceptus est, fit peccatum. Sed duplici modo retinetur. Nimirum vel cum Morosa & diuturna delectatione, & tunc est tantum, ait, peccatum veniale: vel cum Consensu, & non solum cum diuturna delectatione, tunc est peccatum mortale, antequam factio aut signo exprimitur. Qui omnis eorum error ex eo maxime fonte scaturit, quod illi ignorant, quæ quantæque sit humanæ naturæ corruptio, labes, & vitiositas, & earum cogitationum, atque appetituum, qui ex ea per se proficiscuntur. Sed illi Philosophorum more nobis blandiuntur. Aiunt enim nos naturæ nostræ etiam nondum regeneratæ, vi, & indole bona opera edere præstareque posse, quoad substantiam operis: non autem meritoria, quoad intentionem præcipientis. Voluntatem enim nostram esse liberam, non peccati seruam. Itaque ipsam per se posse velle bona opera, quanquam Dei gratia, aiunt, & spiritu accedente efficitur, ut illa voluntas nostra efficaciter velit & consequatur, quæ velit. Vnde duplicem in nobis Dei gratiam faciunt,

Nempe { Præcedentem } vel { Operantem.  
 & }  
 { Subsequentē } } Cooperantē.

vel



vel de } Congruo.  
} Condigno. Quòd si nostra voluntas  
cogitet ipsa per se mali aliquid,  
quanquam eo mali sensu titilletur, tamen si non  
assentiatur, non peccare, neque eam mali concu-  
piscenciam peccatum esse, quia ille sensus & mo-  
tus à natura nobis inditus atque ingenitus est,  
extráque nostram potestatem. Hæc eorum ra-  
tio & oratio est, quæ his Bernardi verbis sermo.  
De duplici iudicio, apertissimè refutatur. Eo-  
dem modo in anima, si peccatū suggeritur me-  
morix per cogitationem, nullum tamen præ-  
buerit aut voluntas affectum, aut deliberatio i-  
psa consensum, fateor quidem deformitas est,  
nec audire meretur illa anima, Tota pulchra es  
amica mea. Quod si voluntas quoque præoccu-  
pata sensu delectationis afficitur, resistit tamen  
adhuc deliberatio rationis, infirmatur quidem,  
sed necdum moritur. Tunc verò mori dicitur,  
cùm & ipsa ratio ad peccatum per intentionem  
curuatur. Tunc enim consentit, & de tali dici-  
tur, Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Ita-  
que Scholastici grauissimè falluntur. Nam con-  
cupiscencia illa appetitúsque rei malæ, quæ cor  
nostrum titillat & delectat, quanquam assensu  
nostro nõ probatur, aut retinetur, peccatum ta-  
men est, idque grauissimum & fœdissimus car-  
nis nostræ effectus. textus hic, & Rom. 7. vers. 7.  
Galat. 5. vers. 25. Et quanquam ex naturæ nostræ  
proprio motu is appetitus oritur, sæpe nobis  
incogitantibus, atque etiam renitentibus obre-  
pit: itémque quod vulgò dicitur, Primi motus  
nõ sunt in potestate hominis, id nos nõ excusat.

Ita enim est naturæ nostræ lues & corruptio, ut nihil bonum ipsa per se cogitare possit. Hier. 4. vers. 22. Zachar. 8. vers. 17. Roma. 8. vers. 6. & 7. sed peccatum sit coram Deo, quod ipsa profert & producit. Vti enim in corporibus cæcitas aut surditas, licet sit à natura, lues est & *κακότης* corporis, ita omnis *ἀτυχία* naturæ, cordis, carnisque nostræ concupiscentia, motus, & titillatio peccatum est, etsi ad eam sponte natura nostra mouetur. Naturam enim iam vitiatam causam esse istorum motuum, nemo negare potest: unde sunt & ipsi vitiosi. Prima autem & integra natura nostra huiusmodi concupiscentias, id est, spinas non producebat. Denique quanquam eas concupiscentias Augustinus in electis infirmitates, & Hierony. fragilitates humanas vocant, non negant tamen esse peccatum: sed fontem tantum, è quo in nobis oriuntur & scaturiunt, his appellationibus notant & ostendunt. Quid sit igitur hoc totum, vide Hieronym. epistol. 17. August. lib. 1. De nuptiis. cap. 23. ubi ait cōcupiscentiam in renatis propriè nō esse peccatum, si illi non consentitur: tamen peccatū dici, quia ex peccato nata est: sed idem cap. 24. explicat, Non est, ait, id est, non deputatur peccatum renatis. Vide lib. 1. ad Bonifa. cap. 13. & lib. eodem 1. de Nuptiis. cap. 27. Quod etiam afferunt ex Paulo. Galat. 5. vers. 16. concupiscentias eas demum peccata esse, quæ à nobis perficiuntur, perperam colligitur. Docet enim Paulus etiam ea, quæ caro concupiscit, peccata esse, ideóque illa perfici & executioni mandari vetat.

Secundum

Secundum autem huius præfationis caput est De Ordine huius præcepti. Ultimo verò loco situm est. Est enim in tota hac Lege decimum. & ultimum, & ordine & iure. Primum, quia hic ordo in docendo est optimus, ut à notis ad ignota progrediamur. Est autem hoc peccati genus, quod in concupiscentiis versatur, ignotius vulgò iis, de quibus supra dictum est. i. homicidio, furto, adulterio. Esse enim quædam peccata nobis ignota docet Psal. 19. vers. 13. Secundum, quòd postquam Lex ea peccata exposuit, quæ in factis vel certa constitutæque voluntate versantur, nunc de iis agit, quæ solæ concupiscentiæ dicuntur, ut ordine à turpioribus grauioribusq; vitiis incipientes ab obscuriora & magis tecta benè viuèdo perueniamus, nõsque ita faciliùs expurgemus.

Tertium est, Ecquæ sit huius præcepti condendi & sciendi ratio siue æquitas. Ea autem est duplex. Prima ducta est ab ipsius legislatoris natura. est autem Deus, qui cum sit Spiritus, similem sui legem dedit, nimirum spiritalem, id est, quæ ad intima vsque humani cordis penetraret, eaque perscrutaretur, & tractaret: non ea tantum, quæ oculis, aut humano iudicio damnantur, & perspici possunt. Itaque hæc Lex dicitur spiritualis. Roman. 7. vers. 14. Secunda ratio ducta est ab eo discrimine, quod inter Dei & hominũ Legem statui debet. Quemadmodum enim Dei Iustitia longè humanam superat: sic à Deo Lex profecta longè melior, sanctior, perfectiorque omnibus legibus humanis esse debet. Arguit enim Christus Pharisæos, Matth. 5.

vers.3.& 46.quòd Dei Legem nihil plus,quàm humana edicta, sapere aut velle interpretabantur,quæ tamen & turpia facta externa, & malo assentientes voluntates damnant. Ergo in hac diuina Lege aliquod præceptum extare oportuit,quod sanctius quid à nobis exigeret,id est,& iam prohiberet ipsam in re mala & turpi cogitatam delectationem. Hoc autem illud est,quod est decimum. Vnde hæc Lex *ἡ ἁγία* sancta dicitur,Roman.7.vers.12.& iusta,Rom.7.v.7.v.12.& perfecta,Iacob.1.v.25.

Quartum denique huius præfationis caput est, vtrum omnia illa,quibus in hoc præcepto concipiendo Lex vititur,verba,vnum tantum, an duo præcepta sint & contineant?Putauit autem D. August. in Exod. quæst.71. esse duo, quòd bis hæc eadem vox repetatur, *Non concupisces*. Non est enim sic scriptum, *Non concupisces domum proximi tui, neque uxorem eius, neque seruum, &c.* sed sic distinctè, *Non concupisces domum proximi tui: Non concupisces uxorem proximi tui, neque seruum eius, &c.* Ergo sunt duo præcepta, inquit Augustinus. Sed si sunt duo, ergo nõ iam solum decem huius Legis verba, & præcepta erunt, quod tamen esse ait Lex Deuter.4. vers.13. sed erunt undecim, quem numerum non agnoscit Moses. Præterea Paulus in epist. ad Roman. cap.7. vers.7. & cap.13. vers.9. apertè docet vnum tantum præceptum his verbis inesse, nempe hoc, *Non concupisces*. Ergo vnum tantum est, non autem duo. Est autem hoc loco religiosior in verbis August. quàm par sit, neque mentem Scripturæ in ea repetitione satis animaduertit. Bis enim

enim eadem vox, *Concupisces*, addita, repetitaque est consulto. Primum non eadem sono, sed tantum sensu & significatione eadem, explicandi gratia, uti Deut. 5. versu 21. ut sequens sit velut exemplum illustratioque præcedentis. Secundum, ut omnis excusatio tollatur, quæ solet à nobis ex obiectorum, circa quæ concupiscentia versatur, varietate, & differentia afferri. Sic enim se homines excusant, quasi non peccent, Equum tantum vel seruum proximi concupiui, non uxorem, ergo non peccaui. Flocci enim sit seruus, quem ego appetiui: at si uxorem, peccassem, quia sit à proximo, pluris vel etiam maximi. Imò verò de quacunque re concupiscentia nostra sit, dānamur, quia genus ipsum concupiscentiæ damnat Lex, non autē eius differentias, & apud Deum non æstimatur rerum carū, quas concupiscimus, pretium: sed prauæ cogitationis nostræ malum & natura, quæ displicet Deo. Neque ab hac nostra sententia longè abfuisse videtur August. cum in eadem quæst. 71. sic ait, Concupiscentia porro vxoris alienæ, & concupiscentia domus alienæ tantum in peccando differunt. Hæc ille.

Iam verò ad eam partem veniamus, in qua ex parte totum colligendum est. Constat autem duabus maximè quæstionibus, è quibus prima est, Quid sit concupiscentia: secunda, Cur quarundam nominatim rerum lex meminit.

Hoc igitur primum explicemus. Quid sit concupiscentia (hanc enim damnat Lex) Ex eo potissimum Augustini loco ordientes, Agit, ait ille, aliquid concupiscentia carnis, & quando non

exhibetur ei vel cordis assensus, vbi regnet: Vel membra & arma, quibus impleatur, quod iubet: Agit autē quid nisi ipsa desyderia mala & turpia? lib. 1. De nuptiis. cap. 27. & cap. 29. ex aliqua parte remanet malum, quia concupiscitur, etsi illi non consentitur. & lib. 2. cap. 2. Ipse cū vitiis conflictus, etsi non est damnabilis, quia non perficit iniquitatem: est tamen miserabilis, quia non habet pacem. Item ex hoc eiusdem Augustini dicto, quod est lib. 2. ad Bonif. cap. 8. Cogitare minū est, quā cupere. Possumus enim quādam cogitare & non cupere, Lactant. lib. 6. cap. 13. Est enim penē supra humanum modum, ne in cogitationem quidem admittere, quod sit vel factu malum, vel improbum dictu. Itaque etiam iusti homines, qui frænare se possunt ab omni opere iniusto, nonnunquam tamen ipsa fragilitate vincuntur, vt tacita cogitatione concupiscant. Ex quo primū apparet illud constituendum esse, Non omnem omnium rerum appetitum, voluntatem, aut cogitationem damnari à Deo, sed eam solū, quæ cōcupiscentia est. Nam & ciborum appetitus, siue appetentia naturalis est, & licita: & quarundam rerum etiam magnarum desyderium in Scriptura laudatur. Nam qui Episcopatum desyderat, ait Paulus, bonum opus desyderat, 1. Timoth. 3. vers. 1. & 2. Corinth. 5. vers. 9. Non exiit igitur Scriptura, neque priuat hominem omni appetitu & cogitatione, vt quidam putant, quasi ἀπειθήνεια & ἀναιδέπεια brutūque hominem faciat. Quid enim ea spoliatus aliud foret homo, quā trūcus, quā lapis, quā inutile lignum? Ergo quādam velle

&amp;

& nolle: quædam appetere & reiicere, etiã scriptura ipsa concedente, licet. Ergo est cogitatio appetitusque noster, aut Bonus, aut Malus. Hic solus concupiscentia dicitur. Quanquam esse ambiguum concupiscentiæ significationem docet August. lib. 2. De nupt. cap. 10. Aliam enim esse carnis, aliam sapientiæ. Est igitur concupiscentia, mala cogitatio cum delectatione animi, nondum tamen malo assentientis, id est, nondum cum assensu.

Quod ut melius intelligatur, tres cogitationum nostrarum gradus constituendi sunt, è quibus

Primus est cogitatio rei malæ levis & momentanea, quæ animum nostrum præteruolat, priusquam à nobis ipsis percipiatur & animaduertatur. Tam est enim ad omne malum fœcunda natura nostra, Hierem. 4, vers. 22, ut continuè & indefinenter quædam turpia cogitet. Quæ cogitationes, quanquam sunt verissimi corruptionis nostræ originalis fructus & effectus, tamen quia sunt leuissimæ, & nobis non percipientibus præterfluunt, non appellantur concupiscentia, neque hoc præcepto damnantur in electis. Sunt tamen amarus vitij nostri in nobis feruentis & ebullientis sudor & fumus.

Secundum cogitationum genus & gradus est, cum iam illa cogitatio mali non tantum percipitur à nobis ipsis, sed etiam nos quodammodo titillat & delectat, & pertentat tacito nostrum pectus gaudio, quanquam illi tamen non assentiamur, imò etiam eam procul à nobis & repellamus & auertamus. Vt cunque enim præ-

ua illa titillatio & aculeus leuis fit & subitus, iā tamen est concupiscentia: Quia cū à cupiendo aut concupiscendo dicta sit concupiscentia, vbicunq; concupiscit, gliscitque, aut sese in nostrum cor insinuat gaudium & delectatio ali qua de re turpi & mala, certè cōcupiscentia est, quæ hoc præcepto damnatur. Nihil igitur necesse est nos iis cogitationibus assentiri, aut eas sequi velle, vt damnabiles concupiscentiæ nominentur. Nam etsi eas repudiamus, atque nobis ipsis irascimur, qui ista cogitemus, & qui iis simus gauisi, sunt tamen concupiscentiæ. Motus enim & sensus omnis iucundus mali, qui tacitè in nobis spirat, & sola cogitatione etiam inopinantibus, atque adeò sæpè renitētibus obrepit, concupiscentia est, & apud Deum grauissimum peccatum, quanquā id homines pro nihilo ducant. Lactantij autem illa sententia, lib. 6. ca. 17. per quam censet plus esse cupere, quàm velle, nihil nostræ huic distinctioni obstat. Illa verò longè verior Chrysof. Homil. 52. operis in Mat. imperfecti sententia, qui aliud esse ait concupiscere: aliud velle. Concupiscere passionis est: velle autem est arbitrij. Frequenter enim concupiscimus etiam quod nolumus. Itaque hæc concupiscentia est tãquam stimulus & punctura tantum quædam voluntatis: non formata adhærensque voluntas.

Tertius cogitationum nostrarum gradus est, cū non tantum iis delectamur & titillamur, sed quasi vincimur, adeò vt illis planè assentiamur, & omnino. Quod fit cū apud nos animo constituimus illud sequi aut committere, quod



quod cogitatio obtulit, quantum in nobis est. Hoc tertium cogitationis genus vulgò voluntas certa & resoluta, siue assensus animi appellatur, quam solam omnes agnoscunt esse peccatum & Philosophi & Sophistæ Romani. Secundum autem cogitationis genus, quam concupiscentiam appellauimus, non item. Itaque sic isti sophistæ Romani peccatum definiunt, vt dicant esse actionem voluntariam, quæ per liberam electionem admittitur. Hæc autem definitio falsa est. Soli actuali peccato conuenit, non autem omni. Nam neque concupiscentiæ, neque peccato originali apta est. Est igitur peccatum, & melius, vt P. Martyr in epistola ad Roman. cap. 6. vers. 13. definit, id quod in nobis Legi diuinæ quocunque modo aduersatur, est ἀνομία, I. Ioan. 3. vers. 4.

Iam ex hac definitione concupiscentiæ apparet, non frustra adici hoc mandatum superioribus. Quidam enim superfluum putarunt, quod cum in singulis illis superioribus, homicidio, adulterio, furto, non tantum externa facta, sed etiam eorum scelerum voluntates ipsæ damnentur, hoc mandatum adici non videbatur, aiunt, necesse. Sed illi hallucinantur. Hoc enim mandatum quid amplius damnat, quam superiora. Nam superiora eas tantum voluntates & cogitationes comprehendebant, quæ sunt cum assensu & aliqua resolutione, & tertij generis & gradus. Hoc autem eas cogitationes damnat, quæ sunt secundi gradus & generis, nullumque adhuc assensum habent, sed iniectam tantum titillationem aliquam cordi, etsi eam execramur.

O.ij.

Cap. 17. ETHIC. CHRIST.

Sed obstat quod ait Iacob. I. vers. 15. Concupiscentiam solam non videri esse peccatum, nisi postquam opere impleta est. Sed responsio facilis est, Nō hoc dicit Iacobus, sed potius gradus, per quos ad peccandum allicimur, exponit, Naturam autem, aut genus peccati non tradit. Ergo sic docet nos allici primū praua concupiscentia, quæ nisi citò extingatur, peccati opus producit, ob quod damnatur. Ex eo autem facile apparet etiam solam concupiscentiā à Iacobo damnari, quando & eam frænare docet, & hamum esse peccati, ait.

Quæsitum autem est de turpibus & lasciuis insomniis, & obscænis visionibus, seu illusionibus & pollutionibus, & de nocturni seminis fluxu: itēque de somniis quæ nobis noctu, vel interdum dormientibus obueniunt, utrū ea sint peccata, an non, & hoc præcepto damnentur, an non. Ait autem August. non est in nostra potestate quibus visis angamur: sed est in nostra potestate ea respuere vel acceptare. Quidam tamē distinguunt, utrū ex præcedenti aliqua nostra turpi cogitatione diurna, & à vigilante facta, ea turpia insomnia dormientibus eueniant, & obrepant, an non. Nam quæ vigilantes cogitauimus, ea solent postea dormientibus obuersari, & ut ait Claudian. poeta,

*Aucupibus volucres. Auriga somnia, currus:  
& quæ tempore sunt cogitata diurno,  
Tempore nocturno reddit amica quies.*

Si ergo ex aliqua nostra turpi cogitatione, aut nimis deliciis quibus indulsumus, ea turpium rerum insomnia fiant, eas pollutiones ac phantasias

tasias nocturnas esse peccata. Sin autem ex nulla aut præcedenti cogitatione incidant, (Nā & Plutarch. in lib. De profectu virtutum, ait, Somnia sana & honesta, argumentum esse profectus virtutum in nobis. Idem in lib. De virtute & vitio) sed temerè obrepant, non esse peccata. Hanc distinctionem secutus est cano. Non est peccatum. distinct. 6. In Decretis. Thomas in 2.2<sup>a</sup>. q. 154. art. 5. Vt cunque certè omnes ij dormientium motus siue affectus sunt carnis, corruptionisque nostræ fructus. Nam illa & dormientibus & vigilantibus inest & obrepit, petendumque à Domino Deo est, vt illa insomnia auer-  
tat, Leuit. 15. Hoc tamen ipsam August. lib. De Bono coniuga. cap. 20. putat esse vmbra futuræ melioris reformationis nostræ. Nec ea somnia damnat. Sed malè Bernard. in lib. De dispensat. scribit in quibusdam monasterijs ob huiusmodi lasciuas illusiones vestimēta lauari solita fuisse.

Secunda præcipua huius capituli quæstio est, Cur nominatim quarundam rerum lex meminit, cum in genere omnis concupiscentia, & in re turpi delectatio damnata sit hoc præcepto. Responsio est, quia pro more Scripturæ *οικονομικῶς* ex parte totum, & ex specie genus est intelligendum. Ergo quarundam rerum, vt domus, vxoris, serui, proximi meminit disertè Lex, tum vt pauca illæ pro exemplo cæterarum essent, tum quòd quas res homines ferè ardentius & frequentius appetunt, & concupiscunt, eæ sunt, quas hîc lex memorat: domus, vxor, seruus, bos proximi. Hoc ipsum confirmat August.

O. iij.

Cap.17. ETHIC. CHRIST.

in Exod. quæst. 71. cum ait, Quod hęc viris dicitur Non concupisces vxorem proximi tui: intelligitur dici & præcipi quoque sceminis, Non concupisces virum proximæ tuæ. Et ita ad omnes homines hoc præceptum pertinet, & ad omnes rerum malarum concupiscentias. Nam has lex hoc capite omnino damnat, & apud Deum peccata esse pronuntiat. Hieronym. lib. 1. in Pelagian. ait, Aut enim vitare possumus malam cogitationem, & consequenter possumus carere peccato. Aut si vitare non possumus, reputatur in peccatum, quod caueri non potest.

Ex superiori disputatione facile est affirmatiuam partem huius præcepti colligere. Est autem hæc, vt Deum omnibus cordis corporisue nostri neruis & viribus & fibris timeamus, colamus, veneremur, eum vbique præsentem gestemus. Nullaque sit nostra vel tantilla cogitatio, nisi de eo, aut eius voluntati & iustitiæ consentanea. Ergo & corpore & animo Deo seruiendum est, eoque toto & integro, vt nulla pars nostri eius metus vacua sit, & omnes nostræ siue internæ, siue externæ cogitationes sint illi dicatæ atque cõsecratæ. Denique Deum toto pectore, tota anima, totis viribus diligamus & amemus, siue eæ sint vires voluntatis, siue intelligentiæ nostræ, Deuter. 6. v. 5. Matth. 22. v. 36, & 37. Luc. 10. v. 27. & 1. Thessal. 4. v. 3, & 4. & ca. 5. vers. 23.

Quæ autem pœna huic culpæ & peccato debetur, corporalis quidem & politica nulla est. Animi autem, mors æterna, quia est peccatum,  
Roman.

Roman. 6. vers. 23. & 7. vers. 7. Et de Legis ipsius  
 explicatione haectenus. Veniamus ad tertiam &  
 vltimam huius tractatus partem, qua breuem  
 summe & epitomes totius Legis explicationem  
 continet.



## CAP. XVIII.

De summa totius Legis diuinæ.

**V**ltima huius libri pars, epitomen to-  
 tius diuinæ Legis continet, ne in im-  
 mēsum fusa res & materia vaetur:  
 sed certo eoque breui cōpendio cō-  
 cludatur, memoriae nostræ iuuandæ causa, vt ait  
 Cypr. in explicatio. Dominicæ orationis. Qua  
 sit autem huius Legis summa variè videtur ex-  
 positum. Ac primū quidem Paulus, 1. Timoth.  
 1. vers. 5. finem Legis ait esse charitatem ex puro  
 corde, bona conscientia, & fide non ficta. Alibi  
 quoque idem Paulus vno verbo totam Legem  
 impleri scribit, eiusque summam esse, Proximi  
 charitatem. Roman. 13. vers. 9. Galat. 5. vers. 14.  
 Christus autem, Matth. 22. vers. 37. & Mar. 12. v.  
 29. ait esse duplicem huius legis summam, *Dili-  
 ges Dominum Deum tuum toto corde, tota anima,  
 totis viribus, & tota potestate tua: item, Diliges pro-  
 ximum sicut teipsum.* Quod etiam Leuit. 19. vers.  
 18. traditur. At Iacobus cap. 2. vers. 8. totam hu-  
 ius Legis summam vno tantum capite compre-  
 hendit, *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Cur  
 tam variè? Quia cum duplex sit huius Legis ta-  
 bula, vtriusque sua quædam est summa: & cum

O.iiij.